



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Monica Vidua. 4. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



bombycum fila contemnerē. Nimirum non Cæsaris sed Numinis oculis se compfit, cui in sponsa cilicium præ purpurâ placet. Sed neque rivalem diu sustinuit Christus; hunc enim antelatum sibi indignatus Cæsaris filius, versusque ex amore in furorem, gladio pectus transfixit. Diocletianus tamen filium ulturus non fuerat, si Pelagia amorem à Christo ad se transtulisset. Abhorrentem ab eâ conditione novus Phalaris bovi æreo candenti includit, in quo illa, amore veriùs, quàm igne liquefacta est. Exuvias corporis in Linatum montem projectas quatuor leones tutati sunt; Clino in urnam composuit, & monti congregationis nomen indidit. Vos Sodales, qui tituli jure reliquiarum hæredes estis, quod in Pelagiâ pulcherrimum fuit, innocentia vestem, primo loco votoque poscite. *Ex Metaphrast.*

*Si luxuria flamma in ossibus aestuat, protinus illam memoria eterni ignis extinguat: si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulchra oculum dirigat, & quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiatur, solerter attendat. S. Pet. Dam. op. 7. cap. 23.*

## S. MONICA VIDUA. 4. Maii.

**H**Æc est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde cælo, secundo quàm primo partu felicior, dum filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæâ mortalissimâ humani generis peste perierat Augustinus; mater sic mortuo affundere lacrimas non antè destitit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis: *Fieri non posse, ut filius istarum la-*



*crimatum periret.* Vim nimirum faciebat Deo ( uti Augustinus postea jam renatus loquebatur ) *cor contritum & humiliatum vidua casta ac sobria, penitensq; ab eo non aurum & argentum, sed salutem animæ filii sui.* Cujus illud primum indicium fuit, quod Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius viri ore ambrosiâ pasceretur, quem proinde non immeritò ut Angelum Dei Monica diligebat; quando verè idem est boni præceptoris, quod Angeli officium, etsi non eadem utrique dignatio impenditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi vitâ opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio professa, cum diceret: *Fili quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hac vitâ: immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neque multò post terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiriis repetimus normam & exemplar matrum omnium; nam hodie pleræque non per euntibus filiis, sed ad Deum abeuntibus lacrimantur, eosque diligendo occidunt. *Ex operib. S. August.*

*Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis: sed nec vultu ladenda est pietas parentum; meretur cecitatis subire supplicium, qui parentum vultus torvo vultu despexerit.* S. Hieronym.

### CONVERSIO S. AUGUSTINI. s. Maii.

**H**OC die Monicae lacrimæ AUGUSTINVM orbî secundum pepererunt; nam hoc Manichæorum erroribus se demum expedivit. Ad id plurimum, ut dixeramus, momenti mater attulit, quæ